



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opvscvlvm, De Vitis
Romanorvm Pontificvm**

Liutprandus <Cremonensis>

Mogvntiae, 1602

LXXXVIII. Ioannes VII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11115

& exercitus Romanæ militiæ diu pertractantes, qualiter duorum altercantium contentio sopiretur, consilio inito demum prænomi-
 natum Sergium vnanimiter elegerunt, & altercantium tumul-
 tuatione repressa in sede eum concorditer statuerunt. Hic in sa-
 crario B. PETRI Apostoli capsam argenteam in angulo obscuro
 iacentem, & ex nigredine nimix annositatis, nec, si esset argentea,
 iam apparentem, Deo ei reuelante, repperit. Itaq; oratione facta,
 sigillo fracto, & capsula aperta inuenit in ea crucem diuersis ac pre-
 tiosis lapidibus perornatam. In qua etiam aperta inuenit miræ ma-
 gnitudinis, & ineffabilem portionem salutaris ligni viuificæ crucis
 repositam, quæ ex die illo pro salute humani generis ab omni po-
 pulo Christiano die Exaltationis S. Crucis in Ecclesia Saluatoris
 adoratur. Hic statuit, vt in fractione corporis & sanguinis Domini
 à clero & populo *Agnus Dei* cantetur. Hic ordinauit Episcopos 27.
 presbyteros 18. diaconos 4. Defunctus est autem Idibus Septemb.

LXXXVII.

IOANNES VI.

A.D.CCI.

IOANNES, natione Græcus, sedit annos 3. menses 2. dies 12. Hic
 captiuos, quos in Campania Gysolphus dux gentis Longobar-
 dorum ceperat, donariis suis redemit. Hic ordinauit Episcopos
 15. presbyteros 9. diaconos 2.

LXXXVIII.

IOANNES VII.

A.D.CCV.

IOANNES, natione Græcus, de patre Platone, sedit annos 2.
 menses 6. dies 17. Hic ordinauit Episcopos 19. Sepultus est au-
 tem 15. Kalend. Nouemb.

LXXXIX.

SISINNIVS.

A.D.CCVIII.

SISINNIVS, natione Syrus, ex patre Ioanne, sedit dies 20. Hic
 ordinauit Episcopum vnum. Defunctus est autem repentina
 morte.